

§. IV. In Evangelica lege veri nominis Sacramenta existere, illi dumtaxat negare possunt, qui novi Testamenti libros nec a limine salutarunt, qui in Traditione Patrum peregrini sunt, & Christianæ Religionis œconomiam ignorant. Heterodoxi vero, qui, deficientes a fide, non frontis, quod malorum fortasse minimum, sed pectoris oculos amiserunt, ipsam Sacramentorum existentiam audacter negant, veriti non sunt. Ex horum numero *Archontici* fuerunt *Gnostici*, & *Friticelli*, qui omnia Ecclesiæ Sacramenta repudiarent, tanquam perfectioni Legis gratiæ repugnantia *Flagellantes* etiam (quos jure Diaboli Martyres appellare poteris) sanguinis sui flagellum, majorem vim quam quodlibet novæ Legis Sacramentum habere contendebant; unde proprii sanguinis effusione contenti, omnia Ecclesiæ Sacramenta respuebant.

PROPOSITIO PRIMA.

*In Evangelica lege vera esse Sacramenta demonstramus.*

§. V. Servator noster res quasdam sensibiles instituit, ut ex Evangelio & Traditione innotescit: hæ res sanctitatis & justitiæ significandæ & efficiendæ vim habent, ex C. III. §. II. & III. hæ autem res sensibiles, quæ ex Divina institutione gratiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habent, sunt Sacramenta; sunt igitur in nova Lege veri nominis Sacramenta. Præterea cum nullum ab Adversariis nostris assignari possit tempus, in quo non fuerit in Ecclesia fides de Sacramentorum novæ legis existentia, cum e contra demonstratum jam pridem sit, eandem nos hodie Sacramenti notionem habere, quam habuit olim Ecclesia: sequitur semper, in Ecclesia Sacramenta extitisse. Constans tandem, & perpetua Ecclesiæ Traditio docet, Christi Fideles toto Orbe diffusos, in eo semper convenisse, ut crederent atque tenerent, in Lege Gratæ vera Sacramenta esse, eaque ad æternam salutem consequendam necessaria; nullus igitur superest dubitandi locus de Sacramentorum existentia & necessitate in lege Christi.